quod filii Israel praevaricati sunt, et nemo, nisi Achor, peccaverat, qui regulam auream et vestem et argentum furatus fuerat. Achor ille exemplum mali religiosi praefert, qui furatur auream regulam S. Augustini, quae idcirco aurea dicitur, quia pretiosa, splendida et ponderosa, caritate est plena. Hanc furatur transgressor. Vestem etiam injuste accipit, dum ad superfluos usus eleemosyna abutitur. Et argentum humo operitur, dum gratias sibi datas ad quaestum humanae laudis convertit. Pro ejus negligentia non solum ipse, sed et tota communitas turbatur. 0631

Ab hoc loco non longe ante civitatem venimus in eum locum, ubi coecus sedebat secus viam mendicans, quando Dominus de Galilaea ascendit in Jerusalem, et ibi eum Dominus illuminavit, ut habetur Luc. 18. In hoc loco legenda de processionali solvimus et procidentes (**204 A**) in terram vestigia Salvatoris nostri deosculati sumus et indulgentias recepimus (†). 0629 0635 0625 0640 0620 0680 0580 0730 0530 0130

De domo Raab meretricis et de domo Zachaei et tribulatione peregrinorum.

Post hoc ad Jericho venimus civitatem, et juxta civitatis ingressum stat una domus testudinata, vetustissima, quam dicunt fuisse domum Raab meretricis, de qua habetur Josuae 2. pulchra historia, et ponitur etiam meretrix haec in evangelio Matth. 1. in Domini Jesu genealogia. Salmon enim, princeps de tribu Juda, eam accepit in uxorem, et genuit ex ea Boos. Et ita assumta est haec mulier de ignominioso prostibulo et posita in glorioso evangelio. Et licet civitas haec sape fuerit destructa, tamen, mirum dictu, sola domus Raab meretricis semper remansit et hodie monstratur. Ende Anfang

Ulterius domum Raab posttergantes venimus ad quandam magnam domum in medio villae, cujus muri adhuc sunt alti et spissi, ac si fuisset castrum. Et haec dicitur fuisse domus Zachaei, quam Dominus Jesus per se sanctificare et consecrare dignatus est, cum dixit: hodie salus huic domui facta est. In qua comedit et multos peccatores cum Zachaeo convertit. Libenter ingressi fuissemus, sed non sumus permissi. Stetimus

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;